

quo nos, Christo fauente, cum anni 52. edemus Ephemerides plura dicemus, nam  
& illæ erunt ab utraque parte pleniores. Quæ quidem ad motus, loca, positusq;  
siderum attinent, mediocri industria a me nunc quoque exposita sunt. Hoc modo.  
Singulorum mensium dieb. enumeratis atq; digestis in formam fastorum, secun-  
dum consuetudinem horum temporum. adiectæ sunt, directa serie, primum, indi-  
cationes locorum, Solis & Lunæ, itemq; circuli Lunæ definitio aquilonaris, quod  
est  $\omega\epsilon\zeta\acute{\alpha}\epsilon\ \epsilon\delta\zeta\epsilon\iota\omicron\pi$  & ipsius Lunæ cotidianæ latitudinis indicatio. Secundo locorum,  
quinque stellarum errantium in signifero. Tertio quasi limites luminum designati  
sunt, Hæc sunt tempora transeuntium luminum, per cardines seu  $\kappa\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon\alpha$  quatuor.  
In quibus occulta quædam uis est, id quod ipse sensi in mari, ad hæc momenta sese  
accommodantib. uentis & æstu. Quarto descripti sunt positus Solis & quinque  
stellarum erga Lunam. Quinto, idem inter Solem & sese. In priore pagella, post  
dies mensis cuiusq; inferius subiecimus occultationes & emersiones, siderum er-  
rantium, in altera pagella etiam præcipuorum aliorum siderum, subter  $\sigma\upsilon\chi\eta\mu\acute{\alpha}$   
 $\tau\iota\sigma\mu\acute{\omega}\nu$  tabellam. Præterea cum Romani ueteres, præclare instituerint, ut anni ita  
diei quoq; principiū ducere ab accessione Solis ad nos, Anni quidem a bruma spa-  
cīs diurnis crescentib. Diei uero, a nocte media, transeunte Sole per cardinem Imi  
celi & accessione sua tenebras depellente: Hæc inq; cum ueteres ad hunc modum  
seruarint, statui profus sequenda esse. Eamq; ob rem, littera. a. accessionē Solis,  
quod erit tempus ante meridiem, & mox idem decessionis post meridiem littera  
d. notauimus, secundum Maronem, apud quem hoc extat.

Et Sol crescentes decedens duplicat umbras.

His indicatis sequitur, ut etiam ea explicemus quæ in Ephemeridū fronte præscri-  
buntur. Cum enim Ptolem. præcipiat ad prognostica obseruare apogea & peri-  
gea (absides hæc sunt summæ & imæ, ubi sidera maxime a terris procul & prope  
absunt) nec non nodos & designationem termini latitudinū, Etiam ista omittenda  
non fuerunt. Ac illa quidem definitio latitudinis, quæ termino boreo indicatur in  
Luna, quia indies mutatur, ideo Ephemeridum expositioni inferenda fuit, de qua  
iam dictum est. Ad nodos autem Lunæ quod attinet, statim hi de circuli limita-  
tione apparent, ad dextrum quidem angulum quadrati  $\acute{\alpha}\nu\alpha\beta\iota\beta\alpha\zeta\omega\nu$  ad sinistrum  
uero  $\kappa\alpha\tau\alpha\beta\iota\beta\acute{\alpha}\zeta\omega\nu$ . De ijs autem quarum tanta uariatio non est, satis habuimus in-  
dicationem in fronte Ephemeridum præpositam cerni posse, Quibus addidimus  
etiam Lunæ, Veneris ac Mercurij in apogeis & perigeis positus, ut quibus Luna et  
hæc stellæ diebus  $\acute{\alpha}\pi\omicron\gamma\epsilon\iota\omicron\iota$  &  $\pi\epsilon\gamma\acute{\iota}\gamma\epsilon\iota\omicron\iota$  in epicyclo essent statim perspiceretur. Accessit  
eclipsium demonstratio, quas anno illo euenturas esse comperissemus, hanc accu-  
rate præposuimus omnib. alijs, tanq; ea quæ in primis Astronomicæ artis uerita-  
tem tuerentur. Postremo ne quid ab ijs etiam desideretur quibus  $\pi\epsilon\sigma\upsilon\upsilon\sigma\iota\kappa\alpha$  cordi-  
sunt, ad horoscopi & celi Medij constitutionem, tabella subiuncta est ephemeridi-  
bus, apta ad quatuor  $\acute{\epsilon}\xi\alpha\gamma\mu\alpha\tau\alpha$  partium scilicet 45. 48. 51. 54. Quarum usus ut  
esset paratior, circulum æquinoctialem, non in partes seu tempora illa nota 360.  
sed in horas 24. spacij  $\nu\upsilon\chi\epsilon\kappa\mu\epsilon\gamma\iota$  vñ diuisimus, & horam in scrupula. De his tantum  
monuisse hoc loco satis fuerit. Cum & multorum Canones ac libelli de usu Ephe-  
meridum extant, & talia publice priuatimq; iam doceantur.

L  
hor  
Me  
ἀνα  
17.  
ἐμ-  
εστ  
ris  
un  
ἀνα  
B  
6  
fo